

Quum ergo tanta munera a scriptorum prudentia privatum publiceque fuerint hominibus praeparata: non solum arbitror palmas et coronas his tribui oportere, sed etiam decerni triumphos, et inter deorum sedes eas dedicandas judicari.

Animi remedia inventa sunt ab antiquis. Suscipiendi propterea sunt, et ritu deorum colendi. — Quam venerationem praceptoribus meis debeo, eandem illis praceptoribus generis humani, a quibus tanti boni initia fluxerunt. Si consulem videro aut praetorem, omnia, quibus honor haberi honori solet, faciam: equo desiliam, caput adaperiam, semitā cedam. Quid ergo? Marcum Catonem utrumque, et Laelium Sapientem, et Socratem cum Platone, et Zenonem, Cleanthemque, in animum meum sine dignatione summa recipiam? Ego vero illos veneror, et tantis nominibus semper assurgo.

CAPUT XV.

MODESTIA CONJUNCTA CUM DOCTRINA.

Dicebat doctissimus idemque sapientissimus Socrates: *Scire se nihil, praeter hoc ipsum, quod nihil sciret.*

Quum venisset Plato ad ludos Olympicos, frequentissimum omnium in Graecia conventum: Olympiae contubernium iniit cum ignotis hominibus, ignotus iis et ipse. Ita vero eos cepit ac sibi devinxit, tum morum suavitate, tum sermonibus ab omni affectatione sapientiae alienis, ut peregrini illi plurimum gauderent fortuito talis viri contubernio ac convictu. Neque vero Acadamiae aut Socratis mentionem ullam fecit: hoc solum illis declaravit, se Platonem appellari. Quum peractis ludis Athenas venissent, perhumaniter eos excepit. Tum hospites: *Age, inquiunt, monstra nobis illum tibi cognominem Socratis discipulum, cuius magna ubique fama est: duc nos in*